

CAPUT V.
DE REQUISITIS LIBELLI.

NUM I.

Licet superioribus capitibus nonnulla jam tradidimus Libelli requisita, operæ tamen pretium puto, paucis ea hic repetere, & alia insuper proponere quæ bonus Advocatus minimè negligere debet.

N. II.

Requiritur ergo in Libello ut *supra c. 2. n. 2.* dictum regulariter *Scriptura*. Dico regulariter in causis enim summaris sufficit intentionem suam apud acta explicare & iisdem inferere.

Clement. sepè de V. S. Rosbach. d. l. n. 21.

Adeo ut sufficiat qualiscunque petitio etiam sine scriptura, quemadmodum & cum per modum inquisitionis proceditur.

l. 4. ibique Gloss. ad verb. continua C. de Apostatis c. cum olim extr. de Testibus.

Item cum iudicis officium extra ordinem imploratur.

Wes. de edend. n. 6.

An a. in appellationibus? vid. Specu:

De Libell. oblat. §. nunc dicendum num. 37. & seq.

An in exceptionibus? vid. Eundem

De Exceps. §. viso. vers. sed nunquid.

N. III.

Et generaliter tenendum, quod forma libelli maximè juxta stylum & consuetudinem curiæ sit concipienda.

Wes. d. 1. num. 7.

C

Ille